



# The Holy See

---

FRANCISCUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CONSTITUTIO APOSTOLICA

*AB ECCLESIA IALAPENSI IN GUATIMALA QUODAM DISTRACTO TERRITORIO,  
NOVA CONDITUR DIOECESIS SANCTI FRANCISCI ASSISIENSIS DE IUTIAPA APPELLANDA\**

Ab Domino ipso demandatum Nobis Ecclesiae universae ministerium omni diligentia explicare destinamus, ut eiusdem salutaria beneficia et praecpta omnia loca contingent cunctasque efficaciter gentes. Ideo Nos res ita disponere properamus ut hoc facilius commodiusque eveniat. Quocirca, cum Venerabilis Frater Iulius Edgarius Cabrera Ovalle, Episcopus Ialapensis in Guatimala, audita Conferentia Episcoporum Guatimalae, postulaverit ut, ecclesiasticae circumscriptionis sibi commissae territorio quodam seiuncto, nova conderetur dioecesis, favente quoque Apostolica Nuntiatura in Guatimala, de Congregationis pro Episcopis consilio, haec pro Apostolica Nostra potestate statuimus et decernimus: a dioecesi Ialapensi in Guatimala integrum territorium horum municipiorum distrahimus, prout a lege civili nunc terminantur, videlicet Jutiapa, El Progreso, Santa Catarina Mita, Agua Blanca, Asunción Mita, Yupiltepeque, Atescatempa, Jeréz, El Adelanto, Zapotlán, Comapa, Jalpatagua, Conguaco, Moyuta, Pasaco, San José Acatempa et Quesada. Inde novam dioecesim constituimus, Sancti Francisci Assisiensis de Iutiapa appellandam, quae iisdem terminatur finibus quibus supra memorata municipia. Novae dioecesis sedem in urbe Jutiapa locamus templumque paroeciale ibidem situm idemque Deo in honorem Sancti Christophori dicatum ad gradum evehimus et dignitatem ecclesiae Cathedralis, cunctis consentaneis concessis iuribus et privilegiis. Novam constitutam Ecclesiam Metropolitanam Sedi Sancti Iacobi in Guatimala suffraganeam facimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi eiusdem Ecclesiae Metropolitanae pro tempore subicimus. Congruam Praesulis sustentationem novae dioecesis Curiae emolumenti, fidelium oblationes et portio procurabunt, quae ei obvenient ex divisione, ad normam can. 122 C.I.C., honorum quae antehac ad Mensam episcopalem, (vulgo « Mitra ») Ialapensem in Guatimala pertinuerunt. Cetera autem omnia

secundum praescripta iuris canonici temperentur. Ad haec tandem explenda, quae per has Litteras iussimus, Venerabilem Fratrem Nicolaum Henricum Mariam Dionysium Thevenin legamus, Apostolicum Nuntium in Guatimala vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis ibidem gestorem, facta iisdem potestate subdelegandi quemlibet in ecclesiastica potestate constitutum. Qui autem negotium perfecerit, exactae rei documenta, rite subscripta, cum primum fas erit, ad Congregationem pro Episcopis mittet. Contrariis quibusvis causis neutquam obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto et vicesimo mensis Ianuarii, anno Domini bis millesimo sexto decimo, Pontificatus Nostri tertio.*

*De mandato Summi Pontificis*  
Petrus card. Parolin  
*Secretarius Status*

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*  
Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*

---

\*AAS, vol. CVIII (2016), n. 2, p.102.